

ueniunt celate & quicquid possunt furari furantur & auferunt eis inferentes multum  
dapnum. set ipsi eos capiunt per hunc modum. habent enim cucurbitas magnas  
quas trucidant in goço superiori facientes introitum oris largum ad extimationem  
quod unus ex papionibus possit capud imponere uiolenter. & ne os cucurbite ex  
impresione uiolenta capitis papionis frangatur ipsum os circumcirca perforant  
posmodum corda[m] unam pre foramina illa circum texentes. quo facto ipsi  
imponunt dictis cucurbitis aliquantulum alicuius pinguedinis iuxta fundum &  
tunc circum carauanam aliquantulum remote multas ex ipsis in pluribus locis  
ponunt & cum papiones ad carauanam ueniunt causa aliquid auferendi odorem  
sentientes pinguedinis in cucurbitis existentis ad ipsas accedunt & capita uolentes  
imponere non ualent. set propter gulositatem cibi intus existentis prementes  
uiolenter capud intrare compelunt. tunc non ualentes extrahere cucurbitas  
eleuant quia leues & secum portant. & tunc nesciunt quo uadant & mercatores  
ipsas capiunt sicut uolunt carnes sunt optime ad edendum & peles multum care  
uenduntur/ Jtem in contrata ista tam magni nascuntur anseres quod bene uiginti  
quatuor librarum est pondus unius. qui magnum habent goçum sub gula & sicut  
unum tuber super rostrum iuxta nares ueluti cignus habet. set habent multo maius  
quam cigni ista quoque ciuitas fugui est prope portum çaytun per sex dietas &  
50r<sup>o</sup> iste portus zaytun est in mari oceano| & illuc multe naues de india ueniunt cum  
mercimonijs multis & abinde ueniunt naues usque ad ciuitatem fugui per magnum  
flumen superius nominatum. Et per hunc modum multe precise res de india  
ueniunt ad hanc ciuitatem. habent insuper h[ab]undantiam omnium que sint  
humano corpori oportuna habent etiam uiridaria pulcra & delectabilia omnium  
bonorum fructuum copiosa. ipsa est tam bona ciuitas & tam bene ordinata quod  
dici non posset Et hoc pateat de ipsa/ dicemus unum quod dominus marcus  
retulit quod est ydoneum narare. cum uero dominus Mapheus patruus dominj  
marci paulo & ipse dominus marcus esent in dicta ciuitate fugui & in eorum  
societate quidam sapiens saracenus & ille dixit & eisdem in tali loco est quedam  
maneries gentis cuius legem nemo cognoscit. nam ydolatria non est quia ydola  
non retinent non adorant ignem non profitetur macometum nec etiam habere  
uidetur ordinem xpistianum placat uobis ut eamus ad eos & loqui cum eis forte  
de eorum esse aliquid cognoscetis adiuerunt illuc & inceperunt loqui cum eis &  
ipsos examinare & inquirere de esse & lege eorum. illi uero uidebantur quasi  
timere ne ipsos examinarent propter auferendam eis legem eorum & tunc dicti  
dominj Mapheus & marcus perpendentes quod ipsi timebant ceperunt ipsos  
ortari & dicere ne timeatis quia huc non uenimus pro aliquo detrimento uestri.  
set solummodo pro bono & augumento uestri status timebant itaque ne fuissent  
50v<sup>o</sup> per magnum dominum delegatj ad hanc examinationem faciendam.| & exinde

*isti adorabant tres apost-  
olos de lxx<sup>ta</sup> & erant  
quasi tenentes fidem xrist-  
ianorum ualde confuse &  
ydiote vt hic infra patet(?)*